

Bibliothèque numérique

medic@

**Chaumont Sabatier, Antoine -
candidat / Guettard, Jean-Stéphane -
président. - An Thoracis Hydropem
tùm cognoscere, tùm curare
difficillimum ?**

1773.

***Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337 n°26***

26.

I

DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesima-tertiâ mensis

Decembris, anno Domini M. DCC. LXXIII.

M. JOANNE-STEPHANO GUETTARD, Regiarum Academiarum Parisiensis, Rupellensis, Florentinæ & Stokolmiensis Socio, Censore Regio, & Historiæ Naturalis Musæi Serenissimi Ducis Aurelianensium Custode, Doctore Medico, Præside.

An Thoracis Hydropem tùm cognoscere, tùm curare difficillimum ?

I.



VARIOS inter morbos quibus obnoxia sunt partes in cavo thoracis contentæ, multi cognitu difficiles admodum, clinicorum aciem effugiunt, vim medicaminum eludunt plurimi, irritisque omnibus artis conatibus, ægros miserè opprimunt. Nec mirum, cum sæpè sæpius causæ, vel lenti veneni instar, labem pluribus ab hinc mensibus, annis aliquandò, inusserint, nisi letho instante non manifestandam; vel sedem extrà pectus occupantes, vasis per consensum contractis, aut compressis, coarctatis coactisque ad rupturam, sanguinis, limphæ, circuitum perturbant, impediunt, sistunt, innumerisque vitiis originem præbent; vel multiplices, viribus unitis, ita subito in ægotantis perniciem conspirant, ut cui prius sit occurrendum, nec per temporis angustias, nec per symptomatum acerbiteriam judicare liceat: cum partes læsas nec oculis intraspicere, nec digito explorare detur, cum symptomatum ipsorum infida sit prononciatio. Ea enim non hoc vel illud pectoris vitium comitantur & produnt, sed in omnibus ferè hujusce cavitatis ægritudinibus eadem apparent. Quæ de cunctis pectoris morbis verissima, de pectoris hydrope veriùs dicta sunt. Hinc Medicorum in inquirendis arripiendisque symptomatibus, quæ morbum faciunt, ac præbent noscendum, diligens industria, labor improbus. Hinc in cadaveribus partium morbosæ conditionis curiosa exploratio, nec unquam satis commendanda. Hinc medicamentorum prudens usus, effectus sedulò notati, ut quid spei supersit, quid damni fugiendum teneant posterì. De pectoris hydrope primus scripsit Hippocrates, quem inter numerosam Scribentium turbam pauci secuti sunt ad hanc usque nostram ætatem. Ex illorum observatis, non ex nostrâ opinione, hujusce morbi notitiam ac medelam in arduo adhuc esse positas, probare suscipimus.

I I.

QUATUOR in cavitates præcipuas thoracem dividit pleura, unam ex utrâque parte amplam, licet inæqualem pulmoni dextro sinistroque recipiendis dicatam. Inter has ex tenuis illius membranæ duplicaturâ nascitur mediastinum cor continens & pericardium. Corpori vertebrarum insidet quartum cavum triangulare, telâ cellulosa, aortâ, venâ azigos, œso-

* Ne perpetuis notalis nimium crescat hæc dissertatiuncula, nominamus autores ex quorum scriptis præcipua depromimus, Hippocratem, Carolum Pisonem, Fridericum Hoffmannum, Thomam Willis, Riverium, Senac, Bianchi la Motte, VanSwieten.

phago, &c. occupatum. Hisce in cavitatibus perpetua fit humidi exhalatio, utque valeat & stet sanitas, perpetua fieri debet exhalati resorptio. Exhalatum si remaneat, aut liquor alius quilibet effusus, serosi, vel alterius humoris hæc collectio, hydropis nomine insignitur. Serum abundantius collectum, vel in utroque simul thoracis cavo, vel in uno duntaxat, aut altero stagnare, vel pericardii cavitatem modo plus modo minus replere, imò distendere; vel denique intra pulmonis ipsius telam cellularem dispersum, oedematis speciem referre, aut Hydatides efformare, docent cadaverum sectiones. (Mediastini hydropem nuntiarunt haud pauci, at observatum nullus nobis notus descripsit.) Verum hunc morbum frequenter existere nunc liquidò constat. At quibus signis ductus, Hydropem, tum thoracis, tum pericardii, tum pulmonis oedematofum adesse certò possit pronunciare Medicus? Quonam criterio, tanquam face præeunte collustratus, unum ab alio secernat, *hoc opus, hic labor est*. In omnibus ferè illo truci morbo laborantibus, hæc occurrunt symptomata, quæ communia vocare liceat; respiratio difficilis eoque magis premens, quo magis ingravescit morbus, ita ut decubitus aut in unum, aut in alterum, aut in utrumque latus sit impossibilis, ultimisque vitæ diebus erectâ cervice spirare penè suffocatus cogatur æger; tussis molesta sæpissimè irrita, aliquandò tamen cum sputis materiæ catharrali similibus, faucium siccitas, sitis ingens, nulloque potu sedanda; pulsus celer, frequens, ac humilis. His quædam signa, specialia magis, addiderunt observatores nonnulli, quæ Pathognomonica voluerunt retinenda: eam in spirando difficultatem ac crebritatem, quæ subito primo somni tempore invadat, ac quiete defraudet, sed tamen procedente die lentescat; unius pedis aut amborum intumescencia oedematosa, deindè faciei, manuum & brachiorum, seroti tumorem, cæterarum partium oedemati prævium: aquæ seu liquidi cujuslibet fluctuantis sonum auditum, ubi concutitur ægrotantis pectus, cordis palpitationem; resolutionem denique alterius, aut utriusque brachii.

I I I.

QUAM incertam diagnosim instituunt hæc signa, tum communia, tum quæ Pathognomonica dicuntur, facile deprehendet, ac judicabit, qui varias thoracis hydropæ laborantium historias à Medicis oculatis & fide dignis scriptas attentè legerit, diversaque symptomata, pro diversis ægrotis, diversis morbi temporibus pensitaverit, atque inter se contulerit. Communia enim, febrim lentam, faucium ariditatem, tussim, materiæ catharrali similis excreationem, orthopnæam non in hoc tantum de quo agitur morbo, sed in plurimis aliis qui nec pectus ipsum laceffunt, obvia esse nemo clinicus ignorat; & cum æqualiter sæviant, ubi aqua pleuram inter & pulmones stagnat collecta, ubi pericardium distendit, vel telam pulmonis cellularem gravat, non hunc, illumvè, certius declarant affectum.

Idem remanet dubium, si ad illa nos convertamus, quæ nimium præcípites quidam dixere Pathognomonica. Ea est signi Pathognomonici cum suo morbo arcta conjunctio, ut morbo præsentem semper adsit, absens verò morbum non adesse certum faciat Medicum. His præpositis, nullum dari signum Pathognomonicum sequens probabit enumeratio. Quanta & qualiscumque sit divi Hippocratis scriptis debita reverentia, qui fluctuationem aquæ collectæ auditam, quandò succutitur æger, thoracis hydropis certam protulit notam; ab hac nullam repeti, nec repetendam esse diagnosim omnes ferè consenserunt Medici. Succussionem enim hanc tentare non licet vel respicientibus ægrotis, vel periculi plenam, quandoquidem subitaneam suffocationem vel levissimo motui successisse tristis comprobavit experientia. Seri fluctuantis, aut quasi sebullientis strepitum, pauci duntaxat senserunt ægri, sentire se negarunt plurimi à Medicis interrogati. Nullus Medicus ab Hippocratis ævo (quamvis signum hoc non pauci tradiderint) hunc sonum, auribus pectori apposis, percepit; undè vel rarum admodum, vel sensibus impervium signum illud affirmare non dubitamus.

Signum Pathognomonicum statuere oportet eam in spirando difficultatem ac crebritatem, quæ subito primo somni tempore invadat, ac quiete defraudet, sed tamen procedente die lentescat. Quod signum, inquit Carolus piso, cum ratio mihi distaverit, tum experientia in omnibus comprobavit. Inter octo quas memorat historias Autor ille, in tribus duntaxat hanc-ce spirandi difficultatem legere est. Si Valvæ excipiamus qui semel illam, narrante Morgagny, observavit, nullus alius hanc vidit, etsi Riverius, Hoffmannus, alique bene multi post Pisonem, illam inter certa criteria referant. Scriptorum auctoritati nimium serviens Jacobus (a)

(a) Morgagny de sed, &c. morb.

Vicarius, ob istud imprimis signum jurare se posse credebat infallibiliter ægrum hydrope pectoris laborare, at tamen in mortui qui hanc difficultate laboraverat cadavere ne drachmam unam aquæ aut feri invenit, & nunquam satis laudandâ ingenuitate mirabundus exclamavit; quam fallacia sunt subindè signa diagnostica! Verum enim vero quot fatis cesserint, qui aquâ pleno thorace, nullam hujusce signi notam præbuere, ibidem mirum est numerare. Quotiescumque pulmonis vasa, nisi summa cum angustia & gravi labore, permeare sanguis non valet, toties nocte adveniente crebra, difficilis respiratio jacentem fatigat, nec dimittit nisi aurorâ surgente. Fallaci igitur aut raro huic signo nulla fides est adhibenda. Idem nos asserere posse de scroti tumore, antequam sero collecto distendantur artus, tum inferiores, tum, superiores: idem de resolutione alterius aut utriusque brachii: de cordis palpitatione: idem de brachi aut manus intumescentiâ serosâ, quam tamen pro certâ habent significatione vulgus ignarum, & Medicorum pars haud ignobilis, probat horum ce symptomatum præsentia in thoracis hydrope rara, aut in aliis diversis morbis frequens. De aliis, quæ centum inter ægrotantes in uno aut duobus tantum innotuere, dicere nobis supervacaneum videtur.

Examinandum super est an ex consociatis illis omnibus & singulis symptomatibus, certum erui possit morbi indicium. Tutior saltem tunc adeslet conjiciendi ratio. Ast illud eximium connubium, 1^o. si præsto sit, inutile est, cum hanc symptomatum catervâ obrutus æger vitæ jam limites attingat. 2^o. Frustra speratur, multas enim historias hoc morbo peremptorum, in quibus aut pauca, aut nulla prædicta symptomata observare datum fuerit, memoriæ mandaverunt Autores celeberrimi, inter quos eminet Morgagny Merito igitur una cum Jacobo Vicario nobis est exclamandum; quam fallacia sunt diagnostica!

I V.

THORACIS hydrops etiam si certius nosceretur, cum ægrôtis curandis non melius actum foret. Ut hydrops quilibet sanetur, duo medendi incumbunt absolvenda, serum collectum foras eliminare, novam ejus impedire collectionem. Priori adimplendæ indicationi apud Therapeiæ Præceptores non desunt medicamenta, cæteris pariter in hydropibus commendata; aperientia nempe, diuretica, purgantia, inter potentiora præsertim hydragoga, quin & vomitum cientia, quæ semper prosperos sortiri successus asserunt autores coevi iusto audaciores, sudorem moventia, Paracenthesis denique. At promissorum vanitatem sæpius luet Medicus, ægrotantis læsto assidens. Nec mirum: ignotæ, aut seriùs notæ ægritudini speciatim apta non opponuntur remedia, aut seriùs ad aquam ejiciendam frustra sese accingit exercitissimus, nam positionem respuit æger, aut potione hausta obruitur suffocatus.

Serosam colluviem ejecisse non satis est, nisi præcludatur fons è quo manat, nisi deleatur causa, corpusque ad pristinam sanitatem reducat. Jam verò tam innumeræ observatæ sunt causæ, ut oculatissimus genuinam (plerumque in abscondito latentem, quia deficiunt symptomata verè indicantia) ab aliis vix secernere valeat. Quo igitur se vertat, hæret anceps. Dùm hæret, ac prudenti timidâque manu admoveat auxilia, serpit magis ac magis hostis, & vires acquirit eundo, præcipitem in ruinam trudit naturam imbellem, & necessariis functionibus jam orbatam. Est quod longâ ac multiplici edoctus experienciâ veram arripiat hydropis indolem; quoties huic debellandæ impares aut didicit, aut experitur artis conatus, ita ut tam gravi malo medelam asserre tutam difficillimum ultro confiteatur.

V.

EXHAUSTI stagnantis in pectore feri exempla, quæ passim leguntur, nos repudiare nullus credat. Juvenile corpus, suis gaudens viribus, visceribus sanis, organis integris, à subito depluente colluvie serosâ, post morbum acutum, intro repulsum humorem facile revocandum, liberari posse; imò liberatum fuisse aliquandò, credimus. At sæpè sæpiùs has desiderari conditiones ad prosperum medicamenti effectum obtinendum necessarias, hisque præsentibus nihil profecisse me icamentum testantur apud Pisonem, Morgagny, aliosque, Historiæ. Testatur parvus felicitum curationum, infelicitum quas ingenui & soli saluti humanæ consulentes confessi sunt Medici, major numerus, & certè longè maior adhuc futurus, si eorum qui hydrope pectoris ignoto, aut non curato occubuerunt, nomina tenere daretur. A tentaminibus prudenter in auxilium vocatis, desperatâ ægri conditione, Medicum minimè arceat non sat perspecta morbi indoles, quia *satiùs est anceps experiri remedium quam nullum*, cum certa perniciēs immi-

net; verum enim verò suæ illum ignorantiae ne pudeat, nihilque polliceatur unquam.

Felici cum successu frequenter institutam fuisse paracenthesin legimus. Hanc præcepit Hippocrates, suaserunt Veteres, prædicaverunt Recentiores, & Medicos increparunt, qui tam utilem negligerent aquæ educationem, aut præ stolidâ timiditate non auderent usurpare. Pace tantorum virorum, quos novitatis amor longius forsan abstulit, liceat reponere, quod alii multi, de genere humano æquè bene meriti, hanc non ancipitem tantum, sed semper ferè exitialem, aut saltem inutilem è foro Therapeutico jusserint projici. In hac sententiarum & testimoniorum diversitate quænam sint partes eligendæ? Tenebit tutas Clinicus qui ad remedium & ad morbum attendet. Quænam ratione impulsus lanceolâ, tricuspide, alio ve instrumento, pertundi pectus hominis, imperare audet Medicus, nonne ut aquæ educantur? At priusquam ad hanc-ec educationem sese accingat, nonne apprimè callere debet, an aquæ reipsâ fuerint collectæ? an intrâ pleuram & pulmones, an intrâ pulmonem, an in pericardio stagent? an aquis effusis celeriori pede mors sit irruptura? an ne cum aquis vitam effusus sit æger? Quibus signis hæc singula detegantur, non videmus, cum incerta & fallacia esse signa diagnostica constet.

Ergo hydropem pectoris tùm cognoscere, tùm curare difficillimum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Stanislaus MITIE, Regiæ scientiarum & Litterarum Nancei Academicæ Socius, nec-non Stanislai I. Poloniarum Regis, dum viveret, Medicus ordinarius.

M. Josephus PHILIP.

M. Petrus POISSONNIER, Regis in Sacro Consistorio Consiliarius, Regi à consiliis Medicis in Regiis Arcibus Maritimis & Colonis totius Medicinæ Præfectus, è Regiâ Scientiarum Academia Parisiensi, nec non Breslensis, Divionensis Scokolmiensis & Petropolitane Socius; Professor & Censor Regius.

M. Carolus-Ludovicus-Franciscus ANDRY.

M. Joannes D'ARCET.

M. Petrus CHEVALIER DE LA HAMON AIS.

M. Joannes-Baptista Alexander MAIGRET.

M. Franciscus THIERY DE BUSSY, Consiliarius Medicus Regis ordinarius in supremo Senatu Parisiensi.

M. Franciscus BERNARD Chirurgiæ Gallico Idiome Professor designatus.

Proponebat Parisiis ANTONIUS CHAUMONT SABATIER, Parisinus, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Autor.
A. R. S. H. 1773. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1773.